

Vir Plurimum Reverende,
Venerande Fauctor,

Post seriam deliberationem, an mei labores iter propo-
situm Stetinum versus inire concedant, tot validas ratio-
nes inveni, quae hoc iter mihi non permittunt; quamvis
libentissime illud susciperem, et egermine feram, quod Tibi
hac in re gratificari non possim. Enarrabo praecipuas
rationes, ut ipse cognoscas, impedimenta mea non esse
levis ponderis.

1. Ad finem perducendum est Calendarium Astro-
nomicum, ad cuius perfectionem plura desunt, quam dicere
audeam.

2. Ad Miscellanea Berolinensia quaedam sunt afferenda,
scilicet Sni. de l'ſſle methodus conficiendi Thermometra
novae speciei. Observationes Eclipsis Solis, et quaedam de
Circulis Solaribus.

3. Calculi Eclipsium satellitum Jovis usque ad Annum
1739. ad meridianum Berolinensem et stylum Gregoria-
num sive correctum reducendi sunt, earumque editio pro-
curanda, ante mundinas S. Michaelis.

4. Hec omnia, dum imprimuntur, requirunt, ut ego ipse eorum correctioni dem operam, cum aliis hisce in rebus non facile fidere possim; imò cum etiam ego in manuscriptis meis aliquando errare possim, quos est ea corrigendo perlustrare, et si qui errores irrepperint, illos detegere et corrigere.

5. Et si quidam horum laborum usque post iter absolutum differri possunt, tamen hoc considerandum, quod nundinis S. Michaelis novum Calendarium ad Annum 1735. bibliopoli Norimbergensibus mittere debeam, quod plures calculos conficiendos presupponit; ut ita vix satis temporis mihi superesse videatur, ad perficiendum omnia, quae hic indicavi, si etiam nullo itinere labores meos interrumpam. Omitto negotia quae leviora videntur, neque tamen sunt minus necessaria, Ex. gr. literas et Observationes ad Sn. De l'Isle, Cellisium et Ghislerium mittere, et alia. Rogo Te ita atque obsecro, Fautor plurimum colende, ne in malam partem interpretaris, si ab omnibus hisce rationibus, me ab itinere absterre-ri patiar; sed potius amore Tuo et favore continuo proseguere

Berolini Die 22 Aug.

Tuum
obedientissimum

1733.

C. Kirck.

153v

Viro plurimum Reverendo, Domino
Alphonso Des Vignoles.